NONNULLA DE MEDICINA QUE BONSEMBIANTE CAROLUS MEDICAM…

Carlo Bonsembiante



NONNULLA DE MEDICINA

QUÆ

BONSEMBIANTE CAROLUS

MEDICAM LAURUM OBTINENS

PROPOSUIT



Patavii

TYPIS PENADA

MDCCCXLVII



Medicina, graece ἰατρικὴ, quae nomina e duobus verbis unius ejusdemque significationis derivantur, scilicet *mederi* et ἰάομαι, etymologico sensu definitur *ars medendi*. Quae definitio finem tantummodo innuit, nullam vero notionem praebet, quae decet scientiam tam innumera objecta amplectentem, tam plurimi faciendam ob finem quem sibi obtinendum proponit. Medicina igitur lato sensu et communiter accepto definietur a nobis ea scientia, quae physicam hominis historiam complectitur, et de ejus structura disserit docetque quid homo vel necessario vel per accidens ex diversis naturae corporibus patiatur, et leges denique praecipit vel servandae vel restituendae salutis.

Silentio praeteream quae plerique ex scriptoribus de medicina disputarunt, quorum nonnullis placuit eam appellare scientiam, aliis vero artem, non paucis pro utraque sententia confirmanda in medium prolatis argumentis.

Fuerunt etiam complures qui eam esse practicam scientiam asseruerunt, ut distingueretur e caeteris, quae speculativae solummodo habendae sunt. Medicina, prout est scientia, firmissimis certisque innititur principiis; si vero accipiatur ut ars, idem de ipsa accidit ac de scientiis arithmetice et geometrica, quoties ad numerorum computationem sive ad mensuras redigantur.

Quaenam fuit medicinæ origo?

Una eademque est Assyriorum, Persarum, Chaldeorum Graecorumque praesertim sententia, medicinam a superis originem duxisse, cujus potissimum inventor Apollo fuisse perhibetur. Id cum ex caeteris scriptoribus, tum praecipue ex Ovidio clare patet, qui Apollinem sic loquentem inducit:

Jupiter est genitor per me quod eritque fuitque
Estque patet . . . . .
Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, et herbarum subjecta potentia nobis.

Nonnulli vero, qui de inventione rei medicae scripsere, hanc in opinionem adducti sunt apud Babylonenses atque Assyrios morem invaluisse exponendi publice infirmos vel in atriis domorum vel etiam in viis, hoc consilio, ut de ratione instaurandae salutis praeterenntes consulerent, vel ab ipsis ediscerent si qua remedia aliis eodem morbo aegrotantibus reddiderint sanitatem. Quorum remediorum numerus cum per crebras adnotationes augeretur, et litteris consignaretur, medicina tandem exorta est.

Strabo quoque memoriae prodit, medicinam extitisse primum apud Graecos, a quibus in aedes Æsculapii aegroti inferebantur, ut a numine in somniis edocerentur quidquid pro expellendis morbis utile esset atque salutare. Remedia deinde quibusdam tabellis inscribebant, tabellasque ad gloriam numinis et posterorum utilitatem foribus templi appendebant. Hinc Hippocrates omnium primus artem et regulas medendi tradidit.

Vae tunc infirmis, quibus ex morbi cruciatu ita quies auferebatur, ut nulla numen posset communicare praesidia ! Vae quoque pauperibus et dissitis a templo vel lecto moveri non valentibus; cum enim neque in aedes introduci possent, nec omnino beneficia experiri, nec remedia tabulis inscripta edocerі, desperata omnino salute afflictabantur.

Quomodocumque tamen se res habeat, aperi primum medicinam docuerunt, eamdemque mediate vel immediate professi sunt, idque in causa fuit, cur ea aetate Eropbilus praedicaret medicos appellandos esse *manus deorum*.

Verum cum haec omnia fabulosa sint reputanda utpote vatum commenta, vel revocanda in dubium ob profanum testimonium quo innituntur; ita ego in exquirendis rei medicae natalibus ducem sequar historiam, quae nullum prorsus relinquat dubitandi locum.

Apertis igitur sacrarum litterarum codicibus, in Ecclesiastico statim legitur (C. XXXVIII.)

A Deo est omnis medela, hoc praemisso praecepto honora medicum propter necessitatem, etenim illum creavit Altissimus.

Atque ut clare pateat hic agi de corporis tantum, minime vero de animae medicina, haec sacer Textus habet: *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa.* Ubi opportunior videbitur locus, firmioribus ostendam argumentis Deum fuisse medicinae auctorem et medicinam ab ipso primum traditam fuisse hominibus; nunc autem in explicanda duorum vocabulorum significatione aliquantisper commorabor, atque ut ordo in dicendo servetur, Textus ipsius referam verba:

1. *Honora medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus.*

2. *A Deo est enim omnis medela, et a rege accipiet donationem.*

3. *Disciplina medici exaltabit caput illius, et in conspectu magnatorum collaudabitur.*

4. *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa, et inde* (al v. 11.): *Da locum medico.*

12. *Etenim illum Dominus creavit, et non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria.*

Considerandum igitur venit, quid sibi velint hae voces, *necessarium* et *creare*.

Necessarium id est, quo carere nemo potest. Cum igitur primi hominum parentes Dei praecepto non steterint, ad caeteras ipsorum miserias accessit quoque morborum et mortis poena. Ut tamen misericordia Dei animarum saluti consuluit, ita ejus clementia ad levandas corporum aegritudines medicinam creavit; cujus officium est valetudinem vel

florentem servare, vel amissam restituere. Ex quo manifestum fit, eam in omne vitae tempus esse hominibus necessariam.

Plurimum igitur a veritate abhorrent, qui male ea verba interpretantes *honora medicum propter necessitatem*, censendum putant, quod, elapso aegritudinis tempore, nullus honor medico habendus sit. Nemo enim tam rudis est, qui non intelligat hanc opinionem rationi quammaxime adversari, cum proprium sit medici non solum morbos curare, verum etiam servare sanitatem. Atque ex hoc magis veritas elucescit, quod in sacris litteris praecepto honorandi medici statim additur ratio, cur sit honorandus. *Etenim*, ait, *creavit illum Altissimus.*

Quapropter cum Deus ad levandos hominum infirmitates medicum creavit, hunc sane tamquam singulare dei opus nos admirari debemus.

Creare est *facere ex nihilo*, ideoque Dei solius est. — Hoc exhibet historiam orbis universi conditi memoria repetenti satis lucide apparet. Verum, si medicinam excipias, nulla prorsus vel scientia, vel ars peculiari dicendi modo creata fuisse fertur.

Ex quo haec duo mihi inferenda videntur: aut medicinam ideo conditam esse a Deo, ut ostenderetur hanc omnium nobilissimam artem dignam plane esse, quae cunctos in sui admirationem aeque rapiat, ac caeterae res omnes, quae statim a primis mundi incunabulis ab Opifice maximo conditae dicuntur, aut ut nulla unquam gloriari posset se medicina praestantiorem esse, quae immediate a Deo creata est, adeo ut ne a coelo quidem vel terra

antiquitate superetur. Hanc enim assertionem nequaquam infirmant ea verba, quae in primo Geneseos capite leguntur. *In principio creavit Deus coelum et terram;* num in principio quidem paradisus a Deo conditus est simul cum fructu incorruptae naturae, in quo securitas inest, et medicina ab ipso rerum auctore creata, ut supra memoratum est.

Ad textum geneseos confugio, ubi legitur: *plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio;* atque ut intelligi possit hunc locum a principio ante alias terras fortasse esse plantatum, quartus Esdrae liber consulendus est, quamvis apocryphus, quia versiculo IV. usque ad VI. capitis III. sic habet: *et induxisti eum in paradiso quem plantaverat dextera tua, antequam terra adventaret* Demum ex capitis VII. versiculo quinquagesimo tertio satis liquet, medicinam hoc in paradiso servari hisce verbis: *Ostendetur paradisus, cujus fructus incorruptus perseverat, in quo est securitas et medela,* idest remedium morbi.

En igitur quomodo medicina a Deo creata in paradiso ab ipso summo rerum Conditore fuerit collocata.

Quisnam fuit ejus progressus?

Post multa saecula gentes cultiores, in primis Assyrii, Babylonii, Chaldaei, Aegyptii et denique Graeci, cum necessitatem atque utilitatem medicinae probe cognoscerent, eam majori studio excoluerunt,

observationes de iis rebus, quae in hoc vel in illo morbo profuerunt aut nocuerunt litteris consignarunt, multa ejusmodi experientia tandem collegerunt, atque sic incrementum haud exiguum medicinae conciliarunt, teste Herodoto, Strabone, Homero, Hippocrate.

Unde majus tandem artis incrementum? Ex constitutionem medicorum: qui ex observationibus et notatis antecessorum, propria simul adhibita diligentia, accuratius non solum morbos cognoscere, verum etiam eos maxime idoneis curare studuerunt remediis. In hac scientia magnos honores et simul emolumenta egregia consecuti sunt; imo nonnulli, ut Apollo, et Aesculapius in deorum numero relati fuerunt, quamvis illo tempore magis adhuc externis quam internis morbis curandis (teste Homero et Celso) studium adhibuerant. Inter omnes vero tandem quingentis fere annis ante Christum natum, Hippocrates Cous, ex Aesculapii familia oriundus, in Graecia prae caeteris caput extulit, qui omnes antecessorum observationes et experimenta probe didicerat, magno quo pollebat judicio, adjecta experientiae ratione, suisque observationibus auxit, emendavit, atque sic tandem quae optime cognovit, rejectis minus utilibus aut noxiis, in scriptis suis cedro dignis, collegit, iisque effecit, ut non solum primus medici genuini nomen meruerit, verum etiam *parens medicinae rationalis* jure appellatus fuerit: quem deinde, ex celebrioribus, Herophilus, Erasistratus, Asclepiades, Dioscorides, Themiso, Celsus, Galenus, Areteus, Paulus Aegineta, Caelius

*

Aureliaous, Alexander Trallianus, aliique multi secuti sunt.

Quibus rebus majorem perfectionem adepta est?

Inquisitione et cognitione corporis anatomica per extispicia sacerdotum cadaverum condentium more, sectionem animalium in oasa philosophicos seu physicos, et tandem incisionem sive anatomen cadaverum humanorum ipsorum ad cognoscendam positionem, figuram, magnitudinem, fabricam et actionem partium hominis causarum abditam sanitatis, morborum, et mortis ipsius.

Deinde physica, chemia, botanica et mechanica a quamplurimis praestantissimis viris melius exculta, atque ad medicinam ac chirurgiam applicata, ad fastigium illud, in quo nunc conspicitur, pervenit, ita ut nunc longe majori certitudine, quam olim, in hac arte et judicare et agere queamus.

Quaenam fuerunt praecipuae sectae in Medicina?

Prima et antiquissima medicina, ut ex dictis patet, fuit empyrica, cui deinde, Hippocrate auctore, successit rationalis sive dogmatica; quae experientia et ratione tamquam duobus medicinae fulcris utebatur. Quam cum Galenus tandem majore anatomes cultura et philosophia aristotelica exornare, atque simul Erasistratum illum haemophobum refutare nisus sit, talem sibi his ipsis famam comparavit, ut eum potissimum omnes medici sequentes

per quatuordecim fere saecula et europaei Graeci, Latini et Arabes secuti sint, et sic galenicam ita dictam sectam efficerent: nisi quod ante Galenum etiam secta adhuc orretor, auctore Themisone, quae a methodo quam sectabatur, a *laxo* scilicet et *stricto* potissimum desumpta methodica dicebatur; quae vero non adeo diu duravit, neque tam multos, ut galenica habuit sectatores. Cum ante saeculum XVI Paracelsus vir gloriabundus chemica principia et medicamenta in medicinam introduceret, et multos asseclas sibi conciliaret, medicina in galenicam et chemicam dividi caepit. Sequebatur paulo post secta eclectica appellata quae medium inter has duas tenebat, et huic addicti ex qualibet quod bonum esse cognoscebant eligebant et retinebant; atque fere simul cartesiana, quae ex Cartesii philosophiae principiis desumebatur.

Deinde helmontiana, tacheniana, silviana, willisiana quae ex horum opinionibus ratiocinabantur, mechanica, stahaliana et quam plurimae multae. Denique secuta est mechanica ex fundamentis physicis, anatomicis et mechanicis, cujus partes sunt hydraulica, hydrostatica, optica, acustica etc.; multa in corpore humano dijudicans, est stahaliana quae ab anima quae naturam facit et vocat omnes actiones sive sciente et volente anima, sive ea nesciente et reluctante fiant, tam in statu sano quam aegro deducere satagit.

Quaenam ex his sectis optima est?

Ut mihi saltem videtur optima illa est quae ad

certa et probata fundamenta respicit, et nihil pro vero aut principio assumit vel adhibet, nisi quod ex fundamentis anatomicis, physicis et mechanicis, sensibus, sive, experientia et rationibus claris ac perspicuis; inde dictum ac probatum est, atque firmissimis hisce fulcris nititur. Verum per singulas medicinae partes, anatomen scilicet, physicam, physiologicam, mechanicam, botanicam, pharmacopoeam, chemiam, chirurgiam, atque observationes practicas hodie longe magis exculta, aucta ac perfectior reddita est.

Objectum, finis et subjectum medicinae quale est?

Objectum medicinae homo est, et quidem vivus, quatenus sanitatis et morborum capax est.

Medicinae finis duplex habetur. unus primarius-sanitas vel conservanda vel restituenda; alter secundarius - praestare scilicet omnia, quae conferunt ad sanitatem vel conservandam, vel recuperandam, vel vitam etiam tantum prorogandam, et morbos insanabiles aut desperatos mitigandos. Nam Ovidius ait:

Non est in medico semper relevetur ut aeger:
Interdum docta plus valet arte malum.

Subjectum medicinae medicus est, qui definitur homo omnis probe callens, et faciens quae ad vitam, in primis vero sanitatem conservandam et recuperandam, sunt necessaria; sive plenius; est homo omnia probe callens et faciens quae ad duplicis officii medici requisita pertinent.

Quotuplex igitur est officium medici?

Utplurimum duplex habetur; primum scilicet conservare sanitatem praesentem, et secundum amissam restituere. Quibus tamen et tertium accidit officium, nimirum forense dictum, quo medicus tenetur sententiam pronunciare coram magistratu de occisis, vulnerumque lethalitate, item de veneno interfectis, de potestia et impotentia utriusque sexus, de infanticidio, virginitate, legitimo partus tempore, morbis simulatis ac dissimulatis, aliisque rebus similibus quamplurimis.

Quomodo dividitur Medicina?

Optime dividitur in partes principes et ministras. Principes sunt duae: hygienes et therapeutica; ministrae vero sex, et quidem tres praegredientes sive theoreticae dictae, ut physiologia, pathologia et semeiologia; atque tres pedissequae, sive practicae et executioni destinatae, ut diaeta, pharmacia, et chirurgia.

Sive dividitur medicina in partes principes, quarum duae sunt hygienes sanitatis conservationem, et therapeutica morborum curationem docens: ministres sex quae vel theoreticae sive praegredientes quarum tres cognitioni dicatae, quae fundamenta docent. Nimirum physiologia statum corporis aegrum docens, semeiologia sive signorum doctrina; practicae sive pedissequae atque executioni, sive curationi desti-

natae, quoque tres, ut dieta, pharmacia et chirurgia, et spectant duabus primis botanica, materia medica et chemia.

QUISNAM FUIT MEDICORUM PRIMUS?

Ovidius Apollinem inducit affirmantem se medicinae inventorem esse:

Quaecumque herba potens ad opem, radixque medendi
Utilis in toto nascitur orbe mea est.

Fertur quoque Aesculapium Apollinis filium artem medicam primum exercuisse, ex quo nata est Hygaea, quae idem sonat ac sanitas. Certum atque indubitatum est, Aesculapium medicinae deum ab antiquis habitum fuisse, et singularem apud gentes superstitioni deditas cultum obtinuisse Epidauri. Hujus numinis simulacrum ex auro atque ebore constabat, et magnifico, (teste Pausania) solio assidebat. Robur nodis gravatum dextera tenebat manu, laevam autem capiti serpentis imponebat. Erat ante pedes canis, lateri haerebat gallus, cujus alter oculos coelum, alter terram intuebatur. Praecingebantur lauro tempora, ad talos usque descendebat vestis, medioque in pectore inscriptum ex auro nomen salutis fulgebat.

Quorum ornamentorum permultae ac variae sunt significationes, ex quibus nos magis proprias atque obvias explicabimus.

Primo igitur Aesculapii nomen Phoenices, interpretantur *aer*, quod a sole scilicet ab Apolline, expurgatum Hygaeam gignit, idest salutem. Longa simula-

cri vestis religionem et severitatem, materies auri atque eboris puritatem denotat maculari nesciam; salutis nomen medio in pectore inscriptum medici vocationem humano generi perutilem manifestat. Baculus nodis refertus morborum gravitatem artisque difficultatem testatur. Manus serpentis capiti imposita prudentiam innuit, quae prae caeteris medici dotibus necessaria est. Per gallum lateri haerentem, oculum coelum terramque intuentem vigilantia praecipitur, quae de omnibus se sollicitum praebeat; per canem vero fidelitas indicatur, quae nequeat corrumpi. Caput denique ideo lauro coronatur, ut pateat quanta medicis reverentia debeatur, cum laurum fulgura quoque revereri soleant.

Ex filiis quoque Aesculapii Podalyrius et Machaon curationum gloria ab historicis celebratur:

Ad Trojam quondam Podalyrius atque Machaon
Graecorum multos eripuere neci.
Illorum meritis hinc non ingrata camoena
Maeonii vitam vatis utrisque dedit.

Sunt quoque scriptores, qui magnum Hippocratem civem eoum ab Aesculapio atque Hercule originem duxisse testantur.

Poetae vero non solum deos tamquam medicinae auctores cecinerunt, verum etiam deabus ejusdem ministerium tribuere conati sunt, ut ex Aeneide patet, ubi Virgilius Aeneam vulneratum refert, quem Iapis curandum suscepit.

Jamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapis
Iasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera laetus Apollo

Augurium cytharamque dabat celeresque sagittas.
Ille ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit, et mutas agitare inglorius artes.

Cum lapis in castris adesset, infixum Aeneae lateri hastile extrahendum curavit.

Stabat acerba fremens ingentem nixus in hastam
Aeneas magna juvenum, at moerentis Juli
Concursu, lacrimisque immobilis: Ille retorto,
Paeonium in more senior succinctus amictu
Multa manu medica, Phoebique potentibus herbis
Nequiquam trepidat, nequiquam spicula dextra
Sollicitat prensatque tenaci forcipe ferrum
Nulla viam fortuna regit, nisi auctor Apollo
Subvenit.—

Tum Venus pietate in natura permota, Cretam se contulit:

Hinc Venus indigno gnati concussa dolore
Dictamum genitrix Cretae carpit ab Ida
Puberibus caulem foliis et flore comantem
Purpureo Non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres haesere sagittae.
. . . .
. . . .
Hoc Venus obscuro faciem circundata nimbo
Detulit, hoc fuscum labris splendentibus amnem
Inficit occulto medicans, spargitque salubris
Ambrosiae succos, et odoriferam panaceam
Fovit ea vulnus lympha longaevus Iapis
Ignorans, subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor: omnis stetit imo vulnere sanguis.
Jamque sanata manus nulla cogente sagitta
Excidit, atquae novae redire in pristina vires.

Ea pretermittam, quae cum Aeschylus, tum Plato de Prometheo memoriae prodidere, et de sententia cujusdam poetae facile conticescam, qui Bacchum medicorum esse deum affirmat his verbis: *quapropter Bacchum, omnibus in locis vocant medicum: quibusdam vero edixit Pythia, Bacchum vocandum sanitatis praesidem.*

Omissis igitur quibuslibet poetarum fabulis, historia duce, perquiram quisnam primum medicam docuerit artem, eamque sit professus: quisnam deinde ejus fuerint discipuli, quorum praeceptis utimur et doctrina.

Qui Adamum vita scientiisque docavit et omnia hominum pedibus subjecit; quique medicinam simul et medicamina condidit, ille ante omnes hujus artis et auctor et conditor jure meritoque dicendus est.

In Ecclesiastico legitur (cap. 38. n. 9) *fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te.* Hic vero de corporis salute agi ex his patet quae adduntur (al N. 7.) *in his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficient sanitatis, et non consumabuntur opera ejus.*

Perlegentibus trigesimum octavum Isaiae caput historia occurrit quoque regis Ezechiae, qui cum lethali morbo efficeretur, precesque deo enixe funderet, tum in pristinam valetudinem restitutus est, tam annos decem et quinque ejus vitae superadditos degit: et jussit Isaias *ut tollerent massam de ficis et cataplasmarent super vulnus ut sanaretur.* Sed ne in pluribus immoremur, satis superque sit

nobis Thobiae historia, cujus filium Raphael Angelus Dei jussu et remediis et rationem edocuit sanandi parentis, qui delapso in oculos hirundinis stercore caecitate laborabat. Enimvero *Raphael* hebraice sonat *medicina Dei*, atque inter septem Angelos recensetur qui Deo assistunt, ut ipse cum Tobiae valediceret monuit: *Ego sum Raphael Angelus unus ex septem qui astamus ante Dominum*: septem igitur habentur Angeli qui astant ante Deum.

Deum fuisse medicinae auctorem et conditorem haec quoque monent carmina (de Libyca):

Ille quidem morbus pressos sanabit, et omnes
Laesos, quotquot et fidunt caecique videbunt,
Incedunt claudi, surdis audire licebit,
Insolitas mutis dabitur formare loquelas
Expellet furias, oppressi morte resurgunt.

Quotiescumque demum cum veteris tum novi foederis litteras libeat perlegere, certiores facturi nos semper erimus medicinam immediate manare a Deo, tamquam singularissimum opus, cujus et auctor et conditor factus est.

In Levitico (c. 13), ubi lex de leprosis constituitur, sacerdotibus concredita est pariter ejusdem morbi cognitio et distinctio, atque ex pluribus legis veteris locis licet videre aegris levamen et medicinam vel ab angelis vel a prophetis non raro allatam fuisse. Item in novo foedere Apostolos admiramur vel viros sanctitate praeditos admirabili curationis praescriptio gratia pollere.

Ad hoc mea non tendit oratio, ut numerum sanctorum virorum omnium contexam, qui me-

dicinae nomen dederint. Omnibus enim notum esse existimo, divum Lucam inter medicos referri; Cosmam et Damianum medicam calluisse artem, et sixtum tertium medicis disciplinis imbutum corpus Anicii Bassi unguentis incorruptum servasse. Nihil dicam de Joanne Petro ex Ullysipone, qui primum ad episcopalem Tusculani sedem, deinde ad romanum Pontificatum evectus scientia tum medica tum philosophica claruit. Basilium magnum omittam, Theodorum laodicensem, Juvenalem, Zenobium Blasium aliosque complures, qui sibi caput et lauro medica, et martyrii corona exornarunt. Nulla pariter facienda est mentio de Syro alexandrino, De Cordato corinthio, de Alexandro phrygio, de Ursicino ravennate, de Diomede tarsensi, de Sampsone romano, deque aliis multis qui et martyrum et medicorum lauro insigniti fuisse dicuntur. Ubi te relinquam medicorum honor, Pantaleo, qui vulneribus, morsibus, omnigenisque morbis curandis praeclarissimam apud omnes tibi gloriam vindicasti? Quibus ego unquam laudibus efferre valeam Antiochum, Aemilianum, Orestem, Gennadium, Carpophorum, Leontium, Hermolaum, Caesarium, quos omnes rerum medicarum scientia apud homines illustravit, vitae vero sanctitas Beatorum numero adscripsit? Quid mihi insuper dicendum esset de Joanne Damasceno, de Benitio florentino, deque aliis quamplurimis; nisi jam oratio ex hac virorum enumeratione in infinitum crescens brevioribus finibus circumscribi deberet?

Sufficiat interim nobis illud Augustini effatum, quod sic sit: *Corporis medicina si altius verum origines repetas, non invenitur unde ad homines manare potuerit nisi a Deo* (lib. 3 de civitate Dei).

Hanc igitur disciplinam a Deo Adam accepit, uti ex Geneseos verbis habetur. Adam a Deo scientiam infusam accepit omnium rerum naturalium, at medicinam quoque. Eamdem ab Adam ejus posteri didicerunt, ab iis Abraham ejusque filii, ab ipsis vero Aegyptii, quorum historia testatur mandasse artem regibus tantum earumque filiabus et sacerdotibus olim permitti.

Atque hoc in causa fuisse existimo cur ceciniset Tassus:

E però ch' Ella dalla madre apprese
Qual più secreta sia virtù dell' erbe,
E con quai carmi nelle membra offese
Sani ogni piaga, e il duol si disacerbe,
Arte che per usanza in quel paese
Nelle figlie dei Re par che si serbe

Diodorus quoque ita scribit. Asserunt Aegyptii Isidem plurimorum ad morbos medicamentorum inventricem, at medicae arti admodum consuluisse, eamque immortalitate quoque potitam gaudere hominum cultu inque eorum valitudine praecipue versari.

Ex Aegypto in Graeciam medicina peregrinata est, ubi cum scientiae atque artes omnes ea tempestate florerent, tum celeberrimae multis in urbibus medicinae scholae institutae sunt. Hanc etiam Graecis laudem historici tribuunt, quod non solum

adversus corporis morbos medici uterentur argumentis, sed etiam adversus aegritudines animi remedia reperire valuerint.

Qua de re apud Diodorum siculum haec legitur (lib. I.) priscis etiam temporibus inventa esse tradunt et irae et doloris medicamenta.

Hinc Homerus in Odysseae poemate legitur de medicamine, quo Helena iram ex animo Telemachi detrudere potuit:

Protinus sane in vinum misit pharmacum unde bibebant
Absque dolore et ira malorum oblivionem inducens:
Qui illud deglutierit postquam crateri mixtum erit,
Non utique tota die profundere poterit lacrymas a palpebris
Neque si mortui fuerint materque paterque.

Apud Indos quoque medicinae ab aliis in alios haereditario quodam jure transferebatur; atque hujus consuetudinis praeter ceteros scriptores Areostus testis est, qui refert juvenem Medorum ab Angelica puella sanitate donatum, atque ita narrationem concludit (canto 19. Stanz. 20. a 26.)

Stava il pastor in assai buona e bella
Stanza, nel bosco in fra due monti piatta,
Quivi a Medoro fu per la Donzella
La piaga in breve a sanità ritratta.

Longum est recensere omnes, qui medicinae scientia atque exercitatione sibi nomen acquisivere: inter quos ille prior erit enumerandus rex, cujus laudes regina Saba sic praedicavit (Paralip. lib. II. cap. 9. v. 5. 6. *Verus est sermo quem audieram in terra mea de virtutibus et sapientia tua. Non credebam narrantibus donec ipsa venissem et vidissent*

oculi mei, et probassem vix medietatem sapientiae tuae mihi fuisse narratam, vicisti famam virtutibus tuis.

At haec sectando nunquam orationi imponeretur finis: paucis res est expedienda. Praeterire tamen silentio non audeam Magnum Alexandrum, qui Aristotele medicinae magistro usus est. Non taceam item de Attalo quinto Mauritaniae rege, et de Marco Antonio romanorum Imperatore, qui medicas rei cognitionem atque usum in deliciis habebat.

Medicorum autem multitudinem augent quamplurimi viri tam gloria, tam ingenio conspicui, inter quos primas obtinent Empedocles agrigentinus: Nicomachus, Aristoteles, Plato, Pithagoras, Diocles, Plistonicus, Protagoras, Erophilus, Philotimus, Erasistratus, Crisippus, Asclepiades, ex cujus stirpe Hippocrates magnus natus est, Aurelius Cornelius Celsus, qui Latinorum Hippocrates vocatur, Claudius Galenus, Avicenna arabs, Aretheus, Rufus ephesinus, Oribasius sardicensis, Paulus ab Aegina, Aetius Grajus, Alexander Tralisnus, Actuarius, Scribo Largus, Nicolaus Mirepsius, aliique quorum ego catalogum referre jam desinam, ne lectorem taedio nimis afficiam aut in longiorem verba effundam sermonem, ex quo satis jam, ut mihi videtur, demonstratum est, medicinam esse artem vel scientiam, quae rerum omnium proprietates inquirit, ut easdem in hominum beneficium conferat: Homini esse necessariam, qui aliquid semper patitur ex diversis naturae corporibus, quibus ob-

noxius: unam esse in semetipsa, unam ejus methodum, unam curandi rationem: et hoc tempore summum fere perfectionis fastigium attigisse ob magnum scientiarum atque artium progressum, quibus innititur, ob innumeras illustrium scholae clinicae magistrorum observationes, atque ob multa denique scriptorum opera, qui per latum medicae disciplinae campum libero atque inoffenso pede expetiati sunt.



Theses defendendae

I.

Dentes non sunt ossa

II.

Ossium reproductio contingit dummode periostium servetur.

III.

Exulcerationes cancerosae oris cum siphyliticis confundi possunt.

IV.

Licet morbi cutanei in series distinctas sejungantur, plerumque unus idemque morbus complures formas sumit.

V.

Stethoscopii utilitas in therapia dirigenda fere nulla

VI.

Cum indubias pathologicas laesiones stethoscopium detegit jam morbus eo progressus est ut nulla spes supersit.

VII.

Frequentior morbus nostro in climate inflammatio.

VIII.

Id nos docent anatomiae, pathologiae observationes; ut vero assertum confirmemus, etiamsi autopsiae negligantur, sat est ut chirurgicos morbos spectemus.